Quaestio theologica.

Numéro d'inventaire : 1979.06620
Auteur(s) : Charles Le Brun
Vallet
Louis Théophile Dorigny du Metz
Type de document : affiche
Éditeur : non renseigné (Paris)
Inscriptions :
• nom d'illustrateur inscrit : Vallet
Description : Une feuille de papier taché et bruni. Des déchirures, à l'endroit des pliures médianes, ainsi que les bords droit et gauche ont été réparés au moyen de ruban adhésif. Un trou en bas à gauche. Des inscriptions manuscrites à l'encre au recto et au verso.
Mesures : hauteur : 562 mm ; largeur : 440 mm
Notes : Affiche annonçant les thèses de théologie que doit défendre en acte public Louis Dorigny du Metz, le 11 mai 1713, à la Sorbonne. Les articles portent sur la nature de Dieu, la Trinité, les Anges. La gravure représente un roi de France en adoration devant une croix et une couronne d'épine (Louis IX ?). Un nom propre (Bérard) est porté en haut de l'affiche, suivi d'une liste de noms avec en regard la définition des armoiries correspondantes. Au verso, sur toute la feuille, des notes manuscrites de généalogie sur la famille Bérard de Montalet, retraçant la succession des générations de 1180 à 1708. On y voit aussi des graffiti au crayon brun.
Mots-clés : Affiches de thèses et d'exercices publics
Filière : Université
Niveau : Supérieur
Autres descriptions : Langue : Français
Nombre de pages : 1
ill.

Berard

Eques Carolus le Brun in. et Pinxit — *A Paris chez Vallet Graveur du Roy rue S. Jacques au Buste de Louis 14.*

REGEM REGUM ADORANTI

QUÆSTIO THEOLOGICA.

Quis eſt Protector noſter? Pſal. 83. v. 10.

DEUS OPT. MAX. de quo ſacra Theologia, quæ ſi nomen ſpectes, ſermo eſt de Deo, ſi rem ipſam, diſciplina quæ ex propoſitionibus revelatis tùm circa Deum, tùm circa ea quæ ad Deum pertinent, eruit ſuas concluſiones, quibus myſteria fidei explicat, ſuadet & tenetur. Multifariàm dividitur, ac potiſſimùm ratione methodi in poſitivam & ſcholaſticam, quarum neutra quidem ſingulis fidelibus, alterutra tamen toti Eccleſiæ neceſſaria eſt. Utraque ſcientiæ & ſapientiæ titulo, ſi minùs ſtrictè & propriè, latè ſaltem & impropriè ſumpto gaudet. Dei beatorumve ſcientiæ nequaquam eſt ſubalternata: objectum ejus adæquatum, omne deducibile ex revelatis per diſcurſum; attributionis verò ac primarium, Deus.

ITA unus eſt Deus, ut ſi unus non eſſet, nullus eſſet. Ejus exiſtentiam fides docet, ratio naturalis, non à priori, ſed à poſteriori, multiplici demonſtrat argumento. Efficax eſt illud quod ex ente neceſſario & contingenti petitur. Agnoſcenda eſt in Deo prima quædam perfectio, fons & radix cæterarum perfectionum divinarum, quæ in infinitate, nec in intellectione actuali, ſive radicali, ſed in aſeitate omnimoda reponenda videtur. Inter naturam divinam & perfectiones ejus abſolutas nulla intercedit diſtinctio realis, ſed admittenda eſt diſtinctio virtualis. Omni perfectionum genere præditus eſt Deus, ſolus à ſeipſo bonus, æternus & immenſus. Ipſum in ſpatiis à ſua immenſitate diſtinctis ultra cælos fingere feriantis rationis eſt figmentum. Spiritus eſt Deus, nullamque habet ſui partem corpoream, nec in contraria ſententia unquam fuiſſe Tertullianum exiſtimes. Abdicat Deus omnem compoſitionem phyſicam, non autem metaphyſicam, quæ ejus ſimplicitatem non deſtruit.

POSSIBILITATEM viſionis Dei intuitivæ fides docet, aſtruunt ſacri codices, confirmant ſancti Patres, à quibus non receſſit ſanctus Chryſoſtomus. Creatæ menti ſuis viribus relictæ viſio hæc non conceditur; proindeque indiget auxilio quodam ſupernaturali, quod à Theologis lumen gloriæ nuncupatur. Hujus neceſſitatem ſtabilivit Concilium Viennenſe adverſus Beguardos & Beguinas. Nullus homo purus & viator vidit Deum intuitivè, adeoque nec Moyſi in monte, nec gentium Apoſtolo adhuc viventibus hoc privilegium fuit conceſſum.

ANIMÆ beatorum quibus nihil luendum ſupereſt, ſtatim atque corporibus ſunt ſolutæ, viſione beatificâ fruuntur; cui quidem ſententiæ non refragatus eſt S. Chryſoſtomus. Faceſſant igitur Chiliaſtæ, qui poſt reſurrectionem mille annorum regnum expectant. Circa hanc quæſtionem quicquam pontificiâ autoritate definiviſſe Joannem XXII. nunquam reperies, qui morti proximus majorum ſuorum doctrinam amplexus eſt, revocatis omnibus quæ minùs aptè ea de relocutus fuerat.

BEATI licèt omnia videant quæ in Deo ſunt formaliter, ipſum propterea non comprehendunt. Eadem ſpecie merces omnibus beatis rependitur, non idem gradus. Hujus diſcriminis cauſa moralis, inæqualitas meritorum; phyſica vero, major vel minor luminis gloriæ menſura, non major vel minor intellectûs acies. Clarè vident beati myſteria quorum in terris fidem habuerunt. Ipſam eſſentiam divinam ita perſpectam habent, ut unam perſonam ſine alia, unumve attributum ſine alio intueri nequeant.

ADORANDUM ſanctiſſimæ Trinitatis myſterium, gentibus ignotum, Judæis quibuſdam in veteri Teſtamento ſubobſcurè revelatum, in novo Chriſtianis manifeſtè cognitum ita impervium eſt creatæ menti, ut illud poſitivè demonſtrare non valeat. Solâ fide divinâ creditur. In eo ſita eſt hujus myſterii altitudo, ut perſonarum Trinitatem in unitate naturæ veneremur, neque confundentes perſonas cum Sabellianis, neque ſubſtantiam ſeparantes cum Tritheitis, ſed agnoſcentes Patrem à quo generatur Filius, Patrem & Filium, à quibus tanquam ab uno principio procedit Spiritus ſanctus. Tres igitur agnoſcimus perſonas realiter diſtinctas, inter ſe omnino æquales, & unicam naturam, hæc noſtra fides nititur plurimis Scripturæ ſacræ teſtimoniis, præſertim formulâ baptiſmatis Chriſti, & 1. Joan. c. 5. v. 7. in quo teſtimonio habetur, *tres ſunt qui teſtimonium dant in cælo, &c.* quod quidem eidem Joannis Epiſtolæ aſſutum, non verum Joannis fœtum falsò contendunt Sociniani.

PRIMA ſanctiſſimæ Trinitatis perſona dicitur Pater ingenitus, principium ſine principio; ſecunda Filius non factus, nec creatus, ſed genitus, Patri æterno conſubſtantialis. Hoc fidei dogma aſtruunt plurima, tùm veteris, tùm novi teſtamenti teſtimonia, & ut rectè definitum fuit adverſùs Arianos in Concilio Nicæno primo. Tertia perſona Spiritus ſanctus, quem veram perſonam; non meram Dei virtutem & efficaciam, ut impiè volunt Sociniani, Scriptura ſacra paſſim vindicat: à Patre Filioque procedit; unde prudenter inſerta eſt Symbolo Conſtantinopolitano particula *Filioque*: at quo tempore, & à quibus inſerta ſit nondùm conſtat.

PROCESSIONES multùm inſerviunt ad explicationem myſterii ſanctiſſimæ Trinitatis. Proceſſio duplex; prior eſt generatio, non item poſterior, quæ proceſſionis nomen ſervat: cujus diſcriminis rationem ſi quæras, ignorantiam noſtram circa quæſtionem abſtruſiſſimam fateri, & cum ſancto Auguſtino inter utramque diſtinguere neſcire nos, non valere, non ſufficere conſultiùs judicamus. Ex duabus proceſſionibus quatuor exurgunt relationes; paternitas nempè, filiatio, ſpiratio activa, & ſpiratio paſſiva, quibus innaſcibilitate ſuperadditâ, quinarius reſultat notionum numerus. Eſt in divinis admirabilis circuminſeſſio & miſſio: per circuminſeſſionem perſonæ divinæ in ſeipſis modo quodam ineffabili inhabitant. Sicut ſolis perſonis procedentibus mitti, ita ſolis producentibus mittere competit.

ANGELOS exiſtere fides docet, ratio ſuadet, non demonſtrat: nomen Angeli muneris eſt non naturæ: rectè definitur ſubſtantia ſpiritalis, completa & creata. Quo tempore præcisè Angeli fuerint creati incertum eſt. Corporis ſunt expertes. Numerus illorum millia millium, non tamen infinitus eſt. Vulgò dividuntur in tres Hyerarchias, quarum unaquæque in tres ordines diſtribuitur, & quidam ad hominum cuſtodiam deputantur. Deum cognoſcunt, ſeipſos, & alia plurima, non verò ſecretas cordium cogitationes, ut docet ſacra Theologia, quæ agit de Deo, *qui eſt Protector noſter.*

Has Theſes, Deo duce, auſpice Deiparâ, & Præſide S. M. N. ANTONIO BOUZIER DE TOUILLY, *Sacræ Facultatis Pariſienſis Doctore Theologo, Socio & Seniore Sorbonico, tueri conabitur* LUDOVICUS THEOPHILUS DORIGNY DU METZ, *Diaconus Pariſinus, die undecimâ menſis Maji anno Domini 1713. à ſeptimâ ad meridiem.*

IN SORBONA.

PRO TENTATIVA.